



Nr. 24.

PROGRAMMA SACRUM,  
 QVO  
 ACADEMIAE FRIDERICIANAE  
 PRO-RECTOR,  
**IO. PETRUS**

*Ludewig/ICtus,*


SEREN. PORUSSIAE REGIS CONSILIARIUS IN-  
 TIMUS AC REGIMINIS DUCATUS MAGDEBUR-  
 GICI, JURIUM AC HISTORIARUM PROFESSOR, ET  
 TABULARII DUCALIS PRAEFECTUS,

*UNA CUM PROFESSORIBUS RELIQUIS,  
 CIVIBUS ACADEMICIS*

*PIAM FESTI, QVOD SPIRITUI SANCTO  
 SACRUM EST, CELEBRATIONEM  
 PERAMANTER COMMENDAT.*

---

*HALÆ MAGDEBURGICÆ,  
 Typis CHRISTOPH. ANDREÆ ZEITLERI, Acad. Typ.*





Vod epistola ad Romanos est universæ novi foederis scripturæ, id ipsi epistolæ est caput ejusdem octavum h. e. centrum, seu medulla ac nucleus. Non recensebimus nunc materias sacras, quæ eodem tractantur; multo minus eas, pro ratione instituti nostri, quod brevitatem amat concisam, nunc sumus explicaturi. Hoc vero est, quod piæ Studiosorum meditationi exhibemus, nullum aliud in utriusque foederis scriptis haberi caput biblicum, quod frequentiorem, seu uberiorem, Spiritus Sancti mentionem contineat, & quod doctrinam de Spiritu Sancto uberior exponat nobis, quam hoc ipsum, quod in epistola Pauli ad Romanos octavum & ejusdem quasi cor est.

Nam vices semel ipsum SPIRITUS SANCTI nomen in eo occurrit cum egregia totius doctrinæ, quam de eo confitemur, declaratione. Videamus hunc numerum in ipsa capitinis serie:

*In iis, qui secundum SPIRITUM ambulant, nulla est condemnatio. v. 1.*

*Lex SPIRITUS vite in Christo nos liberavit a lege mortis ac peccati v. 2.*

*Tò dñsivm legis impletur in iis, qui secundum SPIRITUM ambulant. v. 4.*

*Qui secundum SPIRITUM sunt, ea quæ SPIRITUS sunt, sentiunt. v. 5.*

*Sensus, seu affectus, SPIRITUS est vita & pax. v. 6.*

*Vos estis in SPIRITU, liquidem SPIRITUS DEI inhabitat vos. v. 9.*

*Si quis vero SPIRITUM CHRISTI non habet, ipius non est. ibid.*

*SPIRITUS est vita propter iustitiam.* v. 10.

*Si SPIRITUS ejus, qui Iesum e mortuis excitavit, habitat in vobis, is qui excitavit Iesum e mortuis, etiam in vitam restituere mortalia nostra corpora per SPIRITUM nos inhabitantem.* v. 11.

*Si SPIRITU operationes carnis ne caveritis, vivetis.* v. 13.

*Quicunque SPIRITU DEI aguntur, filii Dei sunt.* v. 14.

*Non accepistis SPIRITUM servitutis iterum ad timorem, sed accepistis SPIRITUM iudeos[rael] x. r. l. v. 15.*

*Ille ipse SPIRITUS testimonium perhibet nostro spiritui, nos filios Dei esse.* v. 16.

*Qui SPIRITUS primitias habemus nos ipsi in nobis ipsis gemimus, adoptionem expectantes, liberationem corporis nostri.* v. 23.

*SPIRITUS imbecillitates nostras sublevat.* v. 26.

*Ipsè SPIRITUS intercedit pro nobis gemitibus, qui enarrari nequeunt.* ibid.

*Qui scrutatur corda, novit, quis sit sensus SPIRITUS x. r. l. v. 27.*

Quod si in his testimoniis ordinem aliquem queras, revocari ea quam commodissime possunt ad tria hæc principia doctrinæ de Spiritu Sancto momenta: ad personam & ad officium Spiritus Sancti, variis beneficiis in nos exuberans; nec non ad officia nostra, quæ eo animati praestamus.

PERSONA *Spiritus Sancti* cognoscitur cum ex eo, quod dicitur *Spiritus Dei*, qui Christum e mortuis excitavit, nec non *Spiritus Christi* v. 9, n. tum e locutionibus hypostaticis, certæ & proprie sic dictæ personæ, seu hypostasi divinitatis, convenientibus; quales sunt plurimæ, quas, hæc hujus epistole pericopæ continent:

OFFICIO *Spiritus Sancti*, variis & luculentissimis secessibus exerit ac nobis probat v. g. beneficio regenerationis ac justificationis, per liberationem a lege peccati & mortis expressio v. 2, 10. beneficio vita ac pacis spiritualis v. 6. beneficio inhabitacionis mysticæ v. 9, 11. rectionis, quæ certissimus iudeos[rael] aschar-

æ character v. 14. *beneficio precum*, & potestatem & facultatem  
digne precandi conferente v. 15. 26, 27. porro beneficio *subleva-*  
*tionis* v. 26. in quorum donorum cumulo sunt *primitiae Spiritus*  
v. 23. Et hoc denique pertinet beneficiaria *objignationis* v.  
16. & futura ad gloriam *resuscitationis* v. II.

OFFICIA vero nostra, *beneficiis* ipsis ac *privilegiis* debita,  
non minus hic Paulo interprete a Deo nobis injunguntur. No-  
strum enim est esse & ambulare secundum SPIRITUM v. I, 4.  
sentire, seu sapere ac querere, ea, que SPIRITUS sum v. 5.  
versari in SPIRITU v. 9. habere ac retinere SPIRITUM Chri-  
sti ibid. SPIRITU *actiones corporis* eneare v. 13. reditionem SPI-  
RITUS sequi v. 14. virtute SPIRITUS *vivificans* piis suspiriis i-  
dentidem ingeminare Evangelicum illud: abba pater! v. 15.  
26. vi primitiarum SPIRITUS tacitis geminitibus exoptare *vivifi-*  
*cias*, seu plenam ejusdem *revelationem*, cum *redemptione*, seu  
renovatione, *corporis* conjunctam v. 23.

E succincta hac delineatione abunde constare potest, quid  
caput epistolæ ad Rom. VIII, in recessu habeat, & quantum me-  
ditationi dignaque applicationi materiam præbeat vel in sola  
hac doctrina de *SPIRITU SANCTO*. Hæc vero nunc VO-  
BIS præcipue, VOBIS, ALMAE FRIDERICIANAE CIVES &  
ALUMNI, omnium ordinum florentissimi, dicuntur. Quod  
si convenienter propositorum praxim queratis, [ut queratis,  
vestrum omnino est] ecce vobis ordinem, quem res ipsa su-  
ministrat! Doctrina de *persona* & officio Spiritus Sancti vera  
fide ita est imbibenda ac in animo digerenda, ut inde statim  
in nos redundet *beneficiorum* ejusdem participatio, & hæc *effi-*  
*ciorum* praxim gignat, aliquando consummata *beneficiorum* u-  
sura beandam.

Vestrum itaque est, fide, e principio gratia accensa,  
venerari *SPIRITUM SANCTUM*, tanquam Spiritum Patris  
ac Filii h. e. ut verum Deum, qui a Patre ac Filio ineffabili

modo æternum procedit, suamque veram divinitatem in officio suo, ad salutis nostræ instaurationem occupato, luculentissimis demonstrat characteribus, h. e. operibus mere divinis, qualia sunt inter alia *regeneratio*, *rectio* & *obsignatio* v. 2, 14, 16. Hac ipsa vero fide immittimini in possessionem bonorum istorum, seu in perceptionem beneficiorum, quibus nos in ordine gratia ditat *SPIRITUS SANCTUS*: hoc est liberamini per *regenerationem* a lege peccati & mortis v. 2. seu a peccato, quod legis instar nos constrictos mortique spirituali & æternæ obnoxios tenet; liberati autem Deo servitis προθύμως, quandoquidem Deo ac virtuti servire summa est libertas; uti miserrima est servitus extra Deum querere libertatem, eamque in licentia, quæ secundum stilum Pauli carnis est, invenire. Nec exigua erit vestra libertorum Christi dignitas. Fruemini enim insigni gratia *inhabitationis* v. 9, II. qua *SPIRITUS SANCTUS* animas, immo ipsa etiam corpora vestra, efficit templa & officinas Dei: quo jure ac privilegio nullum aliud esse potest maius & excellentius.

Fruemini gratia θεοτητας v. 15. quaæ beneficiorum gratiae centrum quasi est, & se prodit dono precandi: quod ipsum ut nostri nos *officii* admonet, sic maximi etiam *beneficii* evangelici loco habendum est. Et cum hoc conjunctum est illud, quod secundum v. 14. positum est in *rectione* *SPIRITUS SANCTI*, qua hic non finit nos esse nobis relictos, sed nos, bene sentiendi agendique viribus instructos, suavi efficacique motu *ducit* in veri ac recti viam, in eaque retinet, *infirmitati* nostræ identidem *succurrens* v. 14, 15, 26, 27. Quam orbitam rectam quo minus deseramus, nos desfatigatos recreat, & æterna vita prægustu, in quo *SPIRITUS* primitia sunt, pascit ac corroborat, eodem in certissimam plenissimæ messis spem nos obfignans. v. 16, 23, 26.

Jam vero cum, ut in proverbio est, *beneficia* dentur propter *officia*, facile intelligitis, o NOSTRI, quid vestri sit officii,

ei⁹, maxime cum hic ipsum Paulum habeatis monitorem. Ve-  
strum est *ambulare secundum spiritum*, seu eum doctorem au-  
dire & ductorem sequi. Habetis per labem naturalem φέύν-  
μα τῆς σαρκός, eidem per obsequium obnoxii. Et quorū il-  
lud ducat, non nescitis. Sentius carnis, ut Paulina voce uta-  
mur, mors est v. 6. non certa minus, quam acerba iis, qui car-  
nis, seu corruptæ naturæ, instinctum sequuntur v. 13. Quare,  
deserto hoc corruptionis principio, id agite omni nisu, ut a SPI-  
RITU SANCTO regeniti nunquam non ab ejus nutu ductuque  
pendeat, non minus, immo multo magis, quam ovis a vo-  
ce pedoque pastoris sui. In eo omnibus elaborate viribus [ vi-  
ribus, qua officii SPIRITUS beneficium sunt ] ut, qua SPIRI-  
TUS sunt, sapiatis, actionibus naturæ pravis per SPIRITUM  
enecatis, sub proposito aeterna vita præmio. v. 13.

Per omnem vitæ præsentis decursum, in primis per ferias  
hasce, effuso in Apostolos SPIRITUI SANCTO sacras, vacate  
exercitio precum, ita ut ex ara pectoris, coelestis thuris in-  
star, nunquam non adscendat illud abba pater. v. 15. & eo qui-  
dem magis, quo est exploratus, in hac ipfa christianismi parte  
**beneficium** potius esse, quod officium; beneficium gratiosorum,  
quos Hebrai a γόνι gratia, qua persuuntur, dicunt חסידי.  
Quod si feceritis fideliter, magis magisque beabimini istis gra-  
tia ac SPIRITUS SANCTI privilegiis ac juribus, qua Paulus hoc  
in loco amplissime prædicat, aliquando ex eo, quod inhabi-  
tantis Christi SPIRITUS participes facti estis, ad vitam gloriae  
quam certissime resuscitandi, & pro bonorum spiritualium pri-  
mitiis abundantissimam messem accepturi.

Neque hæc vobis tantum, *Theologie consecrati*, dicta  
sunt; sed reliquis etiam *reliquorum ordinum civibus*, utpote  
in eodem coelestis sapientia merentibus, hic versantibus, atque ad  
vivam beatæ immortalitatis spem divinitus vocatis. Quid e-  
nim prodeisset perdiscere hominum jura ac jurium beneficia,  
rossæ speciatim jura primogenitorum, jura adoptionis ac ha-  
redita-

reditatis, jura ac privilegia liberorum, seu filiorum ac civium libertate gaudentium; & e contrario ignorare, immo repudiare, quæ multo, immo infinitis modis, majora sunt, eo quod in jurium ordine ad animam & ad cœlum pertinent, & a Paulo, consummatissimo in his ICto, in capite hoc ad Romanos octavo maximo commendantur opere?

Quid juvaret medice curare corpus, neglecta anima, seu gratia, quæ ad sanationem ejus data est, medicinali, in operatione SPIRITUS SANCTI posita? Si secundum carnem vixeritis moriemini: edictum mortis irrevocabile est; quemadmodum æternæ valetudinis ac vita oraculum est certissimum: Si per SPIRITUM operationes carnis enecaveritis, vivetis v. 13. Unde liquet, quæ sit, & quantum valeat spiritualis medicina corporis pariter ac animæ, & quanta ejus sit necessitas? Quid? quod nulla corporis cura hoc ipsum tandem a corruptione immune prestare possit, quin illud sepulcro non sit inferendum. At Paulus, medicina spiritualis theoria ac praxi insignis, eam hic animæ commendat curam, a qua ipsa etiam corporis gloriola restitutio dependet: Si SPIRITUS, inquiens, *ejus qui Iesum ex mortuis suscitavit, in vobis habitet, is ipse qui excitavit Christum ex mortuis, in vitam restituet corpora vestra mortalia per inhabitantem ipsum SPIRITUM:* v. 11. Item acceptis SPIRITUS primitiis redemtionem corporis nostri expeditamus. v. 23. Et cum Paulinum Φρονήση & Φρόνημα v. 5, 6, 7. etiam significet φιλοσοφηρι, genuinum christiane philosophandi modum, quo omnia philosophia academica sanctificanda est, hic a Paulo nobis ostensum videmus in commendato SPIRITUS φρόνημα, tanquam veræ philosophiae praesidio ac condimento, quod omni pseudophilosophia, quæ nihil est nisi φρόνημα τῆς σαρκὸς, opponitur. Quæ cum ita sint habent omnino omnium ordinum litterati in sermone hoc Paulino, de quo digne applicato sibi æternum gratulentur. Halæ Saxonum P. P. in ipsis feriis pentecostes Anno Domini MDCCXVIII.

Ja 1586

ULB Halle  
001 508 687

3



VDN8

St

VDN7



PROGRAM  
ACADEMIAE  
PRO-  
IO. PI  
*S*uide

SEREN. PORUSSIAE  
TIMUS AC REGIMIN-  
GICI, JURUM AC HIS-  
TABULARII DU-

UNA CUM PROF  
CIVIBUS.

PIAM FESTI, QVC  
SACRUM EST,  
PERAMANT

HALÆ M.  
Typis CHRISTOPH. AN

